

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sacra anaphonesis per viginti quatuor offertoria de
tempore et sanctis in 2 partes distributa**

Rathgeber, Valentin

Augustae Vindelicorum, 1726

Ad Philomusum

urn:nbn:de:bsz:31-36492



Ad Philomusum.



Offertoria offero tibi Benevole Philomuse viginti quatuor, quasi totidem citharas, quibus viginti quatuor Seniores Apocalyptici cantabant Agno immaculato canticum novum. Ut tu iisdem glorifices, laudesque Viventem in Sæcula Sæculorum. Apocal. 5. v. 7. & 8. Si hanc meam secutus fueris intentionem, aggratulabor labori meo; cui minimè aliàs (quàm vehementer etiam Bibliopola, pluresque Musices Amatores compulerint magis, quàm rogârint) manum admovissèm. Utere ergò iis ad Dei gloriam tam in festis Domini, quàm Sanctorum, eaque producendo tuum benè instrue Chorum Vocalistis, Chelistas duplica, uno ad minimum concomitante Violoncello. Tubas, vel Cornua ex diversis clavibus ad libitum adhibenda censui, ut nec solennitatibus desit applausus, nec ex tubarum defectu manca sit tua Musica; quam si brevem optas, in finali ante ultimam Vocem Solam desinas. Tuo id relinquo beneplacito; meaque Offertoria benevolo accipe iudicio: quod si fortè nimis criticum foret, scito: Nec pro crisi tuâ esse composita, sed pro Dei gloriâ; quæ si per ea promoveatur, meus adimpletus scopus est. Critico placere nolo: Neque propterea, quia Critico displicent, omnibus displicent. Ede tua, & illa non omnibus placebunt; Artificio etenim summo Composita Musica non singulis placet: an propterea pretium perdit? Scilicet nihil est ex omni parte beatum. Consonantem Ego meditatus sum harmoniam pro gloriâ Dei: Tu si plura in istis requiras offertoriis, falleris omnino, quia Ego ipse plura meditatus non sum. Si nec hoc sufficit crisi tuæ? quære tuo sapidiora gustui; nec invidio; sed opto, ut invenias,
& Valeas.

